

## ARTICULUS III.

DE AUCTORITATE DIVINA ET DIVINITUS INSTITUTA SEU ECCLESIASTICA.

## XIX.

In disciplinis publicè tradendis multa nostris temporibus immutata esse magnam-que orum partem, quæ et nostra, et Patrum nostrorum memoria in scholis vige-rant, esse delecta norunt omnes. Quid aptius substitutum sit veteri rationi, rec-tiusque exædificatum vix quisquam ostendere ac tueri poterit. De exponenda in primis theologia, quæ latissimè pateat, novas methodos, nova systemata, novasque rerum explicandarum descriptiones protulerunt non pauci; quæ quidem re conve-niunt, etsi verbis sæpè discrepet: exhibent enim veritatem theologicarum ordinem propè eundem quem symbola fidei atque imprimis symbolum concilii lateranensis IV, quod principio codicis nostri exstat, præ se ferunt: qui idem *ordo salutis* nuncupatur. Etsi verò novi scientiarum præceptores ac dictatores sæpè in diversa abeant, nec ipsi secum ferè consentiant, nemo tamen eorum iniciatur, ad sacras disciplinas rite proponendas percipiendasque opus esse *parte isagogica, seu præ-via prolegomenon tractatione*, qua de auctoritate Ecclesiæ divinitus instituta dis-centes velut in vestibulo disciplinae sacræ informentur, et docentes perpetuò adju-vantur ac suffulciantur. Eadem ratio nos cogit hoc primum ponere principium Ju-ris sacri.

XX. *Primum ac generale principium Juris sacri est auctoritas divina, et di-vinitus instituta, seu ecclesiastica.* Nam primo religio divina, cuius pars est Jus sacram et fidei dogmata, quæ ejusdem sunt fundamentum, proveniunt ex divina revelatione et divina nituntur auctoritate; quia *fides ex auditu* (Rom. X, 17). Por-rò singuli homines non audierunt immediatè Deum loquenter, nec quisquam, ut sibi loquatur Deus exigendi Jus habet: sed ut S. Paulus inquit: *Multifarum, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, norissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (Hebr. I, 1). Filius divinus, assumpta humana natura, locutus est hominibus in Palæstina tum degentibus; sed cum religionem et Eccle-siam suam per universum orbem propagari, et usque ad mundi finem conservari vellet, selegit apostolos, eosque de mysteriis regni sui, id est, Ecclesiæ singulari studio informavit, atque ita informatos ac divino repletos Spiritu per universum orbem suo nomine et auctoritate ad annuntiandam doctrinam et legem suam, et Ecclesiam quaquaversus propagandam misit, addito certissimo promisso, "eam potestate inferorum nunquam oppressam iri: se cum ipsis apostolis futurum usque ad consummationem sæculi: se missurum præterea Spiritum veritatis, qui eos omnem veritatem docturus, et cum ipsis permansurus esset in æternum (1)."

ta conventicula colentes pro Ecclesia, qui tamen non cessant privatam publicamque polliceri felicitatem, more scilicet eorum de quibus Jus nostrum in extrav. un. de crinine falsi. inter comm. ait: Spondent, quas non exhibent, divitias pauperes alchimistæ. Labente igitur fide, tantum fundamento et radice, mirum non est universam vacillare canoniam disciplinam, eam que pessimè affligi et vulnerari, atque adeò ab iis, qui se canonum doctores vocant, tantum quām deploramus, canonum stragem fieri.

(1) Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, Matth. XVI, 18. Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, Matth. ult. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Pa-tre, spiritum veritatis, Joan. XV, 26. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, Joan. XIV, 16.

Hoc Christi promissum, uti e missio apostolorum in universum orbem, auctoritas quoque ipsis collata non ita profectò intelligi possunt, ut cum apostolorum vita habeant finem, aut quasi apostoli vitam in hoc mundo usque ad sæculi consummationem protracturi essent. Quapropter totum id, quod pro Ecclesia conser-vanda ac propaganda necessarium fuit, æque ad successores apostolorum ac ip-sos apostolos pertinuit, estque ea perspicua mens verborum Christi, ac sensus to-tius antiquitatis, nec quisquam aliis præter apostolorum successores divina Christi verba, jussa, instituta ac promissa ad se quoquo modo trahere sibique applicare po-terat ullo Jure aut specie veri. Jam verò verba Christi, jussa, instituta ac promissa, æque ad successores apostolorum, quām apostolos pertinentia, sunt id in quo auctoritas divinitus instituta consistit, quām *ecclesiastica* hic nuncupamus, primo-que loco inter principia Juris sacri ponimus. Sacrae Scripturæ sine dubio res divi-na ac Dei Verbum sunt, atque ob eam causam primo collocandæ loco. At quando de ipsarum divinitate agitur, quod nempè inspiratione Dei, non humana fide et diligentia exaratæ sint; cum dein de exemplarium, versionum authentia, de nu-mero seu canone librorum, partiamque ac de genuino maximè illarum sensu dis-putatur, ad Ecclesiæ auctoritatem recurrentem est; quæ proin primo stabienda loco videbatur. Similiter anne traditiones præter scriptum Dei Verbum exten-t: quæ genuinæ sint, et incorruptæ: quām vim et significationem habeant, auctorita-te Ecclesiæ definiendum est. Decreta verò romanorum pontificum et conciliorum decisiones, et venerabilium Patrum in rebus sacris consentientes sententiae ipsam exhibent Ecclesiæ vocem et auctoritatem.

XXI. Quia summi momenti sunt, quæ strictim concessi hoc loco, videntur ea distinctiùs explicanda et arcessenda a capite. Antiquis mundi temporibus Deus locutus hominibus est per prophetas, ultimis per unigenitum Filium suum. Hanc totam temporum seriem nunquam interruptam indè a creatione mundi usque ad præsentem horam vi naturali cogitare, et velut uno obtuitu mentis simul contue-ri possumus, nobisque representare instar unius continuae lineæ perpetuo fluxu ge-nerațæ usque ad hoc momentum. In hac linea assumatur una pars minimè longa, nempè ea, in qua unigenitus Dei Filius homo factus est, natus educatusque, et post vitam privatam annorum circiter triginta deinceps paulum ultra triennium pu-blicè prædicando et benefaciendo omnibus in hoc mundo versatus, ex quo post acerbissimam mortem et perfectum redemptionis opus gloriose ad Patrem ascen-dit, immiso paulo post, uti promiserat, in discipulos Spiritu sancto.

XXII. Hæc temporis particula in tota temporum serie a mundo condito usque ad momentum præsens vocari potest *epocha Christi*, a qua æram christianam du-cimus. Christi epocham a creatione rerum præcesserunt sæcula circiter quadra-ginta, id est, quater mille anni et quod excurrit; quæ est probabilior latinorum chronologorum sententia: indè verò ab illa epocha consecuta sunt sæcula propè octodecim. Præcedentia quidem prospiciebant semper, avidèque exspectabant hanc Christi epocham: "Amen dico vobis, inquietabat Christus, multi prophætæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt (Matth. XIII, 17). Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem "meum, et vidit, et gavisus est (Joan. VIII, 56)." Contra, quæ secuta sunt ad eamdem perpetuò respectant. Priora Christi regnum præmonstrabant: quæ pos-tea sunt præterlapsa, et sequentur deinceps, idem Christi regnum exhibent, et exhibebunt perpetuo: *Cujus regni non erit finis*, uti in symbolo profitemur. Est id regnum unum et unicum quidem, sed universale, per omnem mundum atque om-

nes ætates diffusum, non caducis opibus, non carnis deliciis, non humana gloria resplendens; sed mirificè exornatum, perabundansque in hac quidem hominum vita divinis gratiis, meritis, virtutibus; in altera verò cœlesti gloria, præmiis et triumphis; idque regnum mortali hoc statu *Ecclesiam militantem*, altero illo beato *triumphantem* dicimus.

XXIII. A Christi epocha transeo ad epocham apostolorum, qui magistro ac Domino ad Patrem regresso, repleti Spiritu Christi illico executi sunt gravissimum mandatum, et missionem, legationemque suam, strenuè utentes potestate divinitus sibi concessa, ac memores verborum Christi: "Sicut misit me Pater, et ego mittto vos. Data est mihi omnis potestas: euntes ergo, docete, baptizantes eos (Joan. XX, 21, Math. ult.)" Ipso Pentecostes die, Petrus, qui ubique ut caput et princeps inter suos comparat, ad confertam hominum multitudinem elata voce Christi legem promulgat: Ejus sermone tria ferè hominum millia, paulo post millia quinque convertuntur, et novellæ Ecclesiæ aggregantur. Eodem, aut altero certè anno divina virtute prostermitur Saulus persecutor, et erigitur Paulus apostolus Ecclesiæ. Probabilis traditio est, apostolos per duodecim ferme annos in Palestina hæsise, aut eo postquam aliquando excurrerant in finitimas regiones, redisse; quo ministerio ac conatu Judæis impenso profecti, prædicaverunt ubique, "Domino cooperante, ac sermonem confirmante sequentibus signis (Marc. ult.)"

XXIV. De hac apostolorum prædicatione tria censeo animadvertiscenda.

1. Cogitandum non est, Christum apostolos suos codice legum, aut cum tabulis lapideis, ut olim Moysem, vel cum programmate publicè recitando affingendove misisse ad populos, et in orbem. Jussit eos prædicare, non jussit scribere, jussit esse testes eorum, quæ de ipso viderant, audierant, manibus palparant: Quod audivimus, scripsit Joannes eo nempè tempore, quo Evangelium jam diù voce, non scripto annuntiatum fuerat: "Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitae, annuntiamus vobis (I Joan. I, 1)." Sanè et veteres prophetæ divinum Spiritum in corda hominum, non in tabulas et chartas effusum iri prædixerunt; id quod apostolorum princeps prima in concessione in memoriam Judæis revocavit: "Hoc est, inquiens, quod dictum est per prophetam Joel, et erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae (Act. II, 16, 17)." Nitebatur tum quidem religio ac fides Christi *Verbo Dei*, sed non verbo *scripto*. Quæ enim Scriptura pro multitudine maxima parte indocta et imperita adhiberi poterat? Atqui hæc ipsa erat cuius primis temporibus maximè miseratus est Dominus in impertienda salutis gratia: "Videte, inquit Paulus ad Corinthios, vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et in firma mundi eligit Deus, ut et confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus (I Cor. I, 26 et seq.)."

XXV. 2. Etsi divinus magister, cum in terris degeret, sollicitè patienterque instruxerit apostolos, et post resurrectionem per dies 40 cum eis versatus sit, non confabulando de rebus cadueis, sed loquens de regno Dei; iidem tamen non ita clare distinctèque percepserunt omnia, ut nullæ poste dubitationes quæstionesque

exortæ sint. Id perspicuum fit primo, quod Christum redivivum interrogant apostoli: "Domine, si in tempore hoc restitus regnum Israel (Act. I, 6)?" Secundo ex quæstione de recipiendis in Ecclesiam gentibus disceptata (Ibid. X, 45). Tertio, ex controversia de legalibus agitata: "Conveneruntque apostoli, et seniorum videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, etc. (Ibid. XV, 6, 7)." Quamvis autem apostoli repleti essent Spiritu Sancto, scirentque ipsum docturum et suggesturum omnia; non tamen Deum velut ex machina loquentem exspectarunt, sed magna diligentia, circumspectione prudentiaque in rei veritatem inquisierunt, eaque facta inquisitione, ad sententiam processerunt definitivam. Nemo igitur mirari debet, si posterioribus temporibus aliæ atque aliæ fidei controversiæ motæ sint, quæ multa disputatione magna synodorum cogendarum difficultate dirimendæ fuerunt.

XXVI. 3. Institutio Ecclesiæ atque origo regni Christi non eo concipienda est modo, quo alia regna, et res publicæ ex patribus familias, tanquam subjecto præexistente, vi pacti unionis et subjectionis coalescent. Longè aliter egit Christus, qui primo ex discipulis speciatim selegit apostolos, ex apostolis unum, Petrum scilicet, singulari supra ceteros prærogativa potestatis exornavit. Hos veluti duces futuri exercitus a semet constitutos jussit prædicare et baptizare, id est, adlegere milites, cives et domesticos Dei. Nullo igitur modo fingi potest, potestatem sacram, quæ tota a Christo provenit, in ipsam communitatem fidelium, quæ nullum erat, collatam fuisse. Data est ea apostolis, ut homines sub Christi signa adducerent, in quos dein eamdem exercerent, haud secus ac si princeps ducem crearet cum præcepto, ut milites sibi adlegeret, quibus præcesset. Hanc nobis ideam ingerunt ipsa apostolicæ missionis verba: *Sicut misit me Pater; et ego mittto vos; euntes, prædate, baptizantes eos, docentes servare omnia*. Itemque illud: "Faciam vos fieri pescatores hominum (Matt. IV, 19); et maximè ad Petrum: "Ex hoc jam homines eris capiens (Luc. 5, 10); super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam." Sanè idea fundamenti et ædificii, idea pastoris et ovium, pescatoris et piscium omnem potestatis æqualis et communis collegialis, aut democraticæ speciem penitissimè excludunt, longèque removent.

XXVII. Exposita apostolorum missione spectandi sunt ii ad quos missi fuerunt. Ac in prius opus non est multum inquirere qui fieri potuerit, ut Christi religio, sublimia continens mysteria, et pravis cupiditatibus atque inveteratis vietiis hominum maximè adversa, intra annos paucissimos tantoperè potuerit propagari, ut Paulus ad Romanos scripserit: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (Rom. I, 8). Est enim hæc ipsa propagatio admirabile prodigium divinæ gratiæ, quo evidenter credibilis sit christiana religio. Ad alia igitur rei istius capitula advertendum est animus:

1. Audita apostolorum testificatione de Christo, cognitaque eorum divisa missione, tenebatur quivis audientium et jure quidem naturali, Christi religionem ac legem amplecti, et assensum firmissimum etiam internum veritatibus annuntiatis præstare, tanquam divinæ videlicet locutioni, quemadmodum Paulus ad Thessalonices scribit: "Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est verè, Verbum Dei (I Thess. II, 13)."

2. Nemo eorum ad quos doctrina ac missio apostolorum pervenerat, optionem ac veluti jus diligendi habebat quid ex veritatibus annuntiatis aut propositis legis reciperet, quid respueret; quia par in omnibus ratio et fundamentum suberat,

auctoritas nempè Dei revelantis et præcipientis, et divina apostolorum missio. Hoc subruto fundamento, vacillat fides, et lex universa ac quævis ejus capita pro arbitrio convelli poterunt. Hæc causa est cur fides dicatur *individua*.

3. Etsi multa religionis capita ab apostolis proposita humanum captum morremque judicandi et vivendi superarent, tamen cognita revelatione ac missione Dei, jure conqueri nemo potuit, apostolos tyrannidem ac dominatum exercere in conscientias hominum. Hinc Paulus de armis quibus subjugaverat Corinthios, ait: "Arma militiae nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia [inimicorum] destruentes, et omnem altitudinem extollentes se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam (II Cor. X, 4, 5, 6)."

4. Si quis, auditis apostolorum de Christo testimoniis, imò perceptis ac etiavis miraculis in infidelitate obtorpuerant (obtorpuerunt autem plurimi), culpa refundi non potuit in apostolos, non in defectum credibilitatis earum veritatum ac legum, quæ promulgabantur, non in ipsum Christum, qui apostolos ad prædicandum misit; sed in homines qui obediens Evangelio pertinaciter detrectarunt. Sanè quod a propheta diù ante prænuntiatum fuerat, Paulus repetit: *Sed non omnes obedient Evangelio* (Rom. X, 16). Nec causa infidelitatis in intellectu hæsit audientium, sed in prava voluntate, cui difficile non est vanas excusationes obtendere. Multi non obedierunt Dei Filio prædicatori, non obedierunt apostolis a Dei Filio missis: quam igitur excusationem habuerunt de peccato suo? "Sinite illos, aiebat Dei Filius, cæci sunt et duces cæcorum (Matth. XV, 14)." "Quoniam repellitis verbum Dei, aiebat Apostolus Christi, et indignos vos judicatis vitæ æternæ; ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46)."

XXVIII. Nullo labore nunc opus est ad præsentem Ecclesiam applicandi ea quæ de apostolica missione et potestate, ac de obligationibus primorum fidelium dicta sunt; quia ad nostra etiam tempora per sese jam, verè propriè ea pertinent. Non enim, ut *temporarium regnum* acquireret Dei Filius, tot vaticinia de illo regno per prophetas præmissa sunt, nec ob *temporarium regnum* sanguinem fudit Christus, nec sibi sponsam comparavit, quam repudiaret posteà. Manet etiam nunc Christi regnum. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: una morte acquisivit gentes hereditatem suam, et possessionem suam terminos terre. Cœlestem doctrinam semel docuit, unam fundavit Ecclesiam, eamque perpetuam esse, eam lempre manere voluit; misit apostolos suos cum potestate quam ipse a Patre obtinuit; ea potestas non in commodum data erat apostolorum, sed in perpetuum Ecclesiae bonum; nunc etiam vivunt apostoli in unitate successorum, et nunc etiam verè dicunt: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* (Il Cor. V, 20). Quia etiam nostra fides auctoritate divina et apostolica nititur missione; et quia nos quoque super fundamentum apostolorum et prophetarum edificati sumus, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Ac fuit hæc indè ab ævo apostolorum certissima totius antiquitatis sententia, Petrum maximè etiam nunc in *sua sede vivere, et præsidere, et querentibus fideli veritatem præstare* (1). Manet igitur, ut paulo ante dixi, Christi regnum; manet apostolica missio, et potestas apostolica; manet cum apostolis Christus usque ad consummationem sæculi; manet promissa assistentia Spiritus Sancti. Apostolica

(1) His verbis S. Petrus Chrysologus ad Eutychen scripsit, an. 449.

missio, potestas, sedes apostolica non moritur; Ecclesia non moritur, et quando in Symbolo totum per orbem decantato confitemur unam, sanètam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, non id profitemur, eam *aliquando fuisse*, non credere, sed præsentem esse, ac fore in posterum.

XXIX. Non de sola doctrina theoretica fidei loquor, nec apostolorum missio ad fidem duntaxat prædicandam pertinuit, sed vel maximè etiam ad regulas legesque præscribendas, quibus Ecclesia novella regeretur, quanquam qui Ecclesiam agnoscat docentem tanquam ex divina missione apostolis imposta, is eamdem regentem ac saluberrimos præscribentem canones non agnoscere et non profiteri non potest; quoniam ipsa concessio potestatis rectoriae divinitùs facta in numero dogmatum et doctrinarum Ecclesiæ est. Quo, obsecro, Jure regebantur fideles ab apostolis conversi et baptizati? Quas leges ad religionem resque sacras pertinentes proposuerunt apostoli? Ex quo fonte christianam honestatem morum petere jusserunt? Ex Jure, credo, philosophico? Ex Jure publico universal? Ex libris moralibus ethnicorum? Quam functionem in fundanda ac regenda Christi Ecclesia; quam auctoritatem, vel auctoritatis functionis particulam habuit magistratus judaicus: præses provinciæ, imperator romanus? "Penes imperatores, ait S. Joannes Damascenus (Oratione II, de imaginibus), potestas non est, ut Ecclesiæ leges sanciant. Attende quid dicat apostolus: Quosdam quidem posuit "Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem Ecclesiæ; non adjectit imperatores verbum locuti non sunt "reges sed apostoli et prophetæ, pastoresque et doctores."

XXX. Ut jura divinæ missionis et potestatis in apostolos collata a Christo pro conservanda regendaque Ecclesia, sic eadem in fidelibus nostri ævi sunt obligations, ac ævo apostolorum fuerant. Tenemur igitur verbum Dei, sicut est, verè per Ecclesiam annuntiatum omni suscipere reverentia, ac propositis veritatibus præstare assensum etiam internum, ac de dono fidei et declarationibus ab Ecclesia, Spiritu Dei editis gratias agere infinito Deo; minimè autem conqueri de constricta sentiendi opinandique aut potius somniandi libertate; tenemur propositas ab Ecclesia veritates legesque divinas sine discrimine amplecti omnes, ob summum auctoritatis divinæ ac divinitùs institutæ pondus. Quo pertinet elegans sententia S. Augustini: "Qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod vultis, non creditis, "vobis potius quam Evangelio creditis (1)." Subruto fundamento auctoritatis divinæ et divinitùs institutæ, seu ecclesiasticæ, nulla religionis pars firma consistet. "Abdicata qualibet parte dogmatis catholici, inquit S. Vincentius Lirinensis "aliæ quoque, atque item aliæ, ac deinceps aliæ jam quasi ex more et licto abdicabuntur. Porro partibus abdicatis quid aliud sequetur, nisi ut totum pariter repudietur (In commonitorio, c. 31)."

#### ARTICULUS IV.

##### DE TRADITIONIBUS ET NOTIONIBUS ANALOGIS.

##### XXXI.

Auctoritas Ecclesiæ, de qua dictum est supra, verbum Dei nobis proponit traditum ac scriptum: ac priùs quidem traditum; quia ut jam animadverti § XXIV,

(1) Lib. 17 contra Faustum Manich. c. 3, in fin.

n. 1, apostoli doctrinam ac legem Christi prædicando primò promulgarunt, nou scribendo. Sacrae Scripturæ posteriores sunt ordine ac tempore; et auctoritatem extrinsecam habent a traditione, non traditio ex Scripturis (Conf. J. P. E. c. I, § 318, p. 632).

XXXII. Traditio, vi notionis, opponitur: 1. propriæ inventioni aut electioni; 2. opponitur recenti constitutioni, denique scriptæ communicationi. Quod enim *traditum* fuisse contendo, eo ipso non nuperrim inventum, aut meo arbitrio definitum; non recenter constitutum nec origine sua scriptum assero.

XXXIII. 1. *Traditio*, uti dictum, opponitur propriæ inventioni aut electioni. A propria inventione aut electione in causa religionis nomen accepere hæretici, qui spreta doctrina a majoribus tradita, elegerunt id quod ipsi excogitarunt aut invenerunt, aliive, quos sectabantur. Hinc Tertullianus de præscript. hæret. n. 6, ait: "Hæreses dictæ græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad "instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio "indulgere licet; sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxit. Aposto- "los Domini habemus autores."

XXXIV. 2. *Traditio* opponitur recenti constitutioni. Hinc romani Pontifices ut ecclesias particulares fortius stimularent ad observandos canones, sæpius profissi sunt, se nihil novi nunc præscribere, sed quæ a majoribus essent instituta. Sic Gregorius IV, canon 2, dist. 12. "Non novum aliquid præsenti jussione præ- "cipimus" et Siricius P. a. 386, ep. V, n. 1, apud Const. col. 652, ait: "Litteras tales dare placuit, non quæ non præcepta aliqua imperent, sed quibus ea quæ per ignaviam desidiamque aliquorum, neglecta sunt, observari cupiamus, quæ tamen apostolica et Patrum constitutione sunt constituta, sicut scriptum est: State et te- nite traditiones." Similiter loquitur Innocentius P. I, ep. II, ib. col. 747.

XXXV. 3. *Traditio* opponitur scriptæ communicationi aut transmissioni. Talis traditio Cypriano et Afris rebaptizantibus opposita est, teste S. Augustino, l. 5 de baptism. contra Donat. c. 23, ubi addit: "Sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scrip- ta non reperiantur." Traditioni non obest, si, quæ ore primum promulgantur, posteà consignentur litteris. Hinc Paulus II Thessal. II, 15, ait: "Tenete traditio- "nes, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram," quia ea quæ per epistolam communicarat, ore primum fuerant tradita. Theologorum mos est, ea quea primo loco probarunt ex Scriptura, secundo confirmandi a traditione, nem- pè ex doctrina Patrum, ex factis aliisque testimoniis de agnita et conservata sem- per doctrina.

XXXVI. Materia traditionis generatim est dogma, factum divinum vel hu- manum, institutio alicujus ritus, Juris, functionis: *forma* sita est in testimonio, profesione, aut usu et exercitio ejus dogmatis, facti, ritus, Juris, functionis. Unde vox *traditio* nunc ad *materiam* refertur, seu dogma, factum, ritum, etc., viva voce, professione, vel praxi transmissum, nunc ad *formam*, seu ad hæc ipsa testimonia dogmatis, facti, ritus; etc. Materia igitur traditionis tunc fidei dogmata sunt, tunc regulæ ecclesiastice. Hæ tamen solæ nomine traditionis aliquandò designari videntur, fortè quod longiore tempore nullis litteris fuerint commendatae. Siricius enim Papa, epist. VI, n. 5, apud Constant. de ordinationibus agens, ostendit,

quomodo unam fidem habentes, unum etiam in traditione sentire debeamus: quasi fidei opponere disciplinam, tanquam alterum divisionis membrum.

XXXVII. Analogæ atque affines traditioni sunt consuetudo, mos, mores, obser- vantia, imò et præscriptio (1). Ac mores quidem denotant actus frequentes, pu- blicos, uniformes, et quodammodo inveteratos. *Consuetudo* strictè sumpta exprimit Jus, suppositis diuturnis populi moribus, aliquo consensu legislatoris introduc- tum: quo sensu est alia consuetudo *præter legem*, alia *contra legem*: Jus enim tum obligationem exprimit, tum facultatem moralem seu libertatem agendi (§ VII); nominatur tamen etiam consuetudo *secundum legem*, nempe inhaesiva et declara- tiva. Quavis significatione continet duo, factum et Jus: undè *consuetudo facti*, seu factum quod inest in consuetudine, et *consuetudo Juris*, seu Jus quod exhibet, nominatur (2). A traditione differt in eo, quod hæc non novum dogma, novam institutionem ritus indicet, sed testimonium de dogmate vel ritu jam olim instituto; contra consuetudo strictè accepta denotat jus novum, non scriptum. *Observantia*, tanquam forma traditionis et consuetudinis est testimonium moribus et factis ex- pressum de Jure tradito, vel per consuetudinem introducto; aliquandò opponitur veteri Juri vel usui, et recentem praxim Juris tum scripti, tum non scripti indicat: in legem quandam in viridi esse observantia dicimus. Sed in his omnibus ingens est inconstantia loquendi.

XXXVIII. In traditionibus *origo* spectatur maximè, ex qua vis illarum pen- det. Sunt enim divinæ, sunt etiam humanæ, apostolicæ, vel ecclesiasticæ. *Traditiones divinas* seu divina dogmata et præcepta viva voce transmissa toto ante Moysem legemque scriptam tempore agnoverunt patriarchæ ac fideles omnes, et de summis quidem religionis capitibus seituque necessariis, ceu de peccato origi- niali, de promisso Redemptore, de vi sacrificiorum carnalium, de resurrectione et universali judicio, de fide, spe, charitate ac remedio peccati originalis. Easdem ante exaratum novum Testamentum agnoscere debuerunt, et indubitate agnove- runt fideles primorum Ecclesiæ temporum (3). Cur nos item non agnoscamus? Quia, inquit protestantes, et ante ipsos alii hæretici; quia divina dogmata et præcepta in Scripturis nunc exarata prostant dictante Spiritu sancto. Respondeo:

1. Ipsa divinitas Scripturarum, authentia præsertim versionis, canon librorum aliundè cognosci certò non potest, nisi ex traditione (4). De genuino sensu mox dicam.

(1) De consuetudine exstat titulus in utroque Jure; ac multo pluribus verbis agitur de præ- scriptiōibus.

(2) Quo loquendi genere vocatur etiam possessio juris et facti.

(3) S. Matthæus, qui primus omnium manum admovit tabulæ, ut fidelium Palæstinæ votis faceret satis, ante octavum annum post resurrectionem Jesu Christi non scripsit, teste Eu- sebio, Demonstrat. I, 3, c. 24. Hunc paulò serius secuti sunt SS. Marcus, Lucas, Joannes.

(4) Eleganter Bellarmin. De verbo Dei, I, 4, c. IV: "Quomodo enim, inquit colligemus ex Scriptura, Evangelia Marci et Lucæ esse vera Evangelia, Thomæ et Bartholomæi esse falsa? Item epistolam ad Romanos esse veram; Pauli et Laodicenses, quæ nunc circumfertur, non esse Pauli, cum utraque præferat titulum Pauli, et cum Paulus in epist. ad Coloss. ult. dicat se scripsisse ad Laodicenses; nusquam autem dicat se scripsisse ad Romanos. Oportet etiam cre- dere, hoc Evangelium, quod nunc legitur nomine Marci, esse illud verum et incorruptum, quod scripsit Marcus; quod certè ex Scripturis haberri non potest. Quomodo enim ex Scriptura colligam hoc Evangelium non esse suppositum, ut dieunt mahometani, vel certè totum deprava- tum, ut dicebant olim manichæi, et nunc anabaptista?" De evangelis apocryphis confer. can. 3, dist. 15.

2. Dogmata et præcepta N. T. scripta sunt magno numero; id fatemur, at scripta non per modum integri systematis, aut completæ instructionis de divino Jure; sed alii atque alii locis, velut pro re nata; undè adversarii Ecclesie, qui affirmant, *planè omnia esse scripta*, id non præsumere, sed probare debent; quod efficient nunquam.

3. Patres ac scriptores primorum Ecclesie temporum, synodi item, in quibus de Jure divino agebatur, certè nosse debebant fontes, in quibus Jus divinum, et salutis doctrina ex voluntate Christi continetur: atqui omnes duplēm christianæ religionis agnovere fontem, sacras Scripturas et traditiones, id recentissimè atque enucleatè ostendit V. C. Gottfridus Lumper in *historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina SS. Patrum, etc.* per omnes, quas adhuc edidit partes. Duo hic animadvertisunt, quæ sectas novas gravissimè affligunt: 1. Rejiciunt illæ divinas traditiones, quas prima Ecclesia inde ab ortu, et post exaratas etiam Scripturas, tanquam Dei verbum, et salutaris doctrinæ fontem agnovit; 2. rejiciunt easdem more illo desperato, quo primorum temporum hæretici easdem rejeccerant, ceu ariani teste S. Augustino, l. 1, contra Maxim.; item Pelagiani apud eundem: Nestoriani quoque, ut meminit concilium ephesinum, nec non Eunomiani, ut refert S. Basilii l. de Sp. c. 27; omitto alios.

XXXIX. De traditionibus atque adeò necessitate earumdem addam ex disciplina Juris, quæ animadversione videntur digniora. Ac primo in omni communitate mores sunt priores legibus scriptis, et præter has vim habent; quia omnia definiri legibus haudquaque possunt. "Diuturna consuetudo pro Jure et lege, in his quæ non ex scripto descendunt, observari solet, l. 33 et 35, D. LL. Leges quoque ipsas antiquitus probata et servata tenaciter consuetudo imitatur et retinet, l. 3, c. Quæ sit longa consuetudo." Dein præter Scripturam aliis adminiculis indigent leges quibus declarantur et applicentur. Lex ipsa, ut se non explicat, ita nec applicat ad species obvenientes. Hinc ab ipsis scriptis legibus consuetudo dicitur *optima interpres legum*, l. 37, D. de LL, et c. 8. de consuetud. Præter consuetudinem in ambiguitatibus legum scriptarum etiam præjudicia, vel potius exempla, id est, rerum similiter judicatarum auctoritas valet, l. nam imperator 38. D. de LL. Maximè hoc pertinet tum interpretatio authentica legum ab ipso legislatore petenda, l. 11. ib. tum officium judicis leges applicantis et Jus secundum leges dicentis. His omnibus si destituantur leges scriptæ, pro laqueis erunt, non remediis expediendarum litium.

XL. Ex his intelligitur primo necessitas traditionum tum apostolicarum, tum ecclesiasticarum, per quas determinantur ea quæ Jure divino determinata non sunt, sed quæ divinus legislator pro temporum et locorum ratione pastoribus a se institutis definienda reliquit. Dein patet necessitas ejus generis traditionum divinarum, quæ *declarative* dicuntur. Scriptura sacra continet mysteria valde sublimia, ceu trinitatis, incarnationis, processionis Spiritus Sancti, eucharistiæ, etc.; nec ipsa genuinos verborum sensus a pravis distinguit, quod ostendunt controversiae et hæreses omnium temporum (1). At quæ in cordibus hominum, operante

(1) "Scripturam sacram, inquit S. Vincentius Lirinensis, c. 2, commonitorii, pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt: sed eadem eloquia aliter atque aliter alias interpretatur, ut penè, quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur: aliter namque illam Novatianus, aliter Photius, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinarius, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius, atque idcirco multum necesse propter tantos tam variis erroris anfrac-

Spiritu Sancto, scripta est, et deposita veritas ea ignorare homines non sinit quid et quo sensu credendum sit, quod non credendum sit. Hinc quando, suborta hæresi, detecta et explicata est pravitas doctrinæ, eique opposita catholica veritas a romanis Pontificibus distinctè segregata est a pravo sensu; Episcopi in synodis congregati illico in ejusmodi expositione fidei recognorunt sensum fidei suæ, acclamantes: "Hæc est fides Patrum, ita credimus, ita sentimus omnes; anathema Nestorio, anathema Eutychi, etc." Id contingit in synodo ephesina contra Nestorium, in chalcedonensi contra Eutychen, in œcumonica VI, contra monothelitas. Lecta Ephesi epistola S. Leonis ad Flavianum, act. 2, acclamarunt Patres: "Petrus per Leonem locutus est." Episcopi galli accepta eadem Leonis expositione, rescripsere: "Multi in ea gaudentes pariter et exultantes recognoverunt fidem suæ sensum, et ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester apostolatus exposuit, Jure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti beatitudinis vestræ, admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicæ sedis auctoritate, eloquantur, et asserat unusquisque quod credit (1)." Hoc etiam declarativæ traditionis genus qui rejicit (ut sit a protestantibus) etsi nudæ retineat Scripturæ verba in sensum reprobum atque hæresim incidit, uti Siricius P. dudum observavit: "Scimus, inquiens, fratres charissimi, multos Episcopos per diversas ecclesias ad famam pessimam nominis sui humana præsumptione Patrum traditionem mutare properasse, atque per hanc causam in hæresis tenebras cecidisse (2)."

XLI. Traditiones divinas esse *universales* palam est. Porro quævis traditio universalis coalescit ex traditione omnium ecclesiarum catholicarum in eamdem doctrinam conspirantium. At constat, inquit, traditiones ecclesiarum particularium tum divinas, tum apostolicas, et ecclesiasticas corrumpi posse. Exemplo sunt controversiae de baptismo hæreticorum, de celebratione paschatis, aliæque id genus (3). Quem ergo characterem habent traditiones ecclesiarum particularium, ex quo veræ dignoscantur? Nempe traditio vera, si de divina et apostolica agatur doctrina, prædicatione vel institutione apostolica originemducere debet, et ut Tertullianus ait, conspirare cum doctrina earum ecclesiarum quas apostoli fundarunt, et in quibus suam doctrinam deposuerunt: "Constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam (de præscript. c. 21)." Id ævo nostro in solam cadit Ecclesiam romanam, quantumvis Episcopi catholici omnes successores apostolorum censeantur; ut proin characteris traditionis ecclesiarum particularium sit consensio et con-

tus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur."

(1) Epist. synodica Ravennii aliorumque Episcoporum gallorum inter epistolas S. Leonis n. 99, c. 2, edit. Ballerin. col. 1103. Huc referenda est animadversione quam contra Molinæum et auctorem principiorum J. E. P. de traditionibus agentem feci in Inst. J. E. P. c. VII, § 373.

(2) Epist. X Siricil apud Constant. col. 687.

(3) Cum Joannes apostolus et aliqui ipsius successores Ephesi pascha celebrassent cum Juðæis ex prudenti quadam indulgentia, ne istos offendenter, id in pravum sensum detorquens Polycrates Ephesiorum Episcopus, qui tempore S. Victoris P. I, præfuit, contendit hoc omnino ex lege evangelica fieri debere. Ita corrupta est traditio. Similiter cum in ordinationibus clericorum, aliquando præter canones temporum necessitate vel ex dispensatione quidquam actum esset, id nonnulli ordinaria lege fieri posse pravè senserunt; de qua re queritur Siricius P. ep. 6, n. 5, apud Constant. col. 662, et Innocentius I, ep. 17, ib. col. 835, n. 9.